



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

IV. Votorum & regularum exactus sit obseruator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

DOCUMENTVM IIII.

*Religiosum debere esse exactū votorū
& regularum suarum obseruatorē.*

QUARTVM fit. Religiosum ad votorum & regularum Ordinis sui obseruationem, omne suum studium debere conferre. Primum igitur danda ei erit opera, vt vota & promissiones, quibus Deo se obligauit, nimirum, paupertatem, castitatem, & obedientiam perfectè adimpleat. Etenim horum transgressio & *stulta atq; infidelis promissio*, vti sapiens ait, *deo displicet*, illumque graui-
ter offendit. Quin & sacri doctores *Eccl. 5.* affirmant, sicut anima est vita hominis: ita vitam & essentiam Religiosi hominis esse tria vota; ad quorū integram obseruationem tria hæc non parum illi proderunt.

1. Petere indies gratiam à Deo ea fideliter implendi.

2. Quotidie se super his examinare: nū videlicet aliquid paupertati, castitati, vel obedientiæ contrarium admiserit.

3. Sæpenumerò vota renouare, singulis videlicet diebus Dominicis post sacram communionem. Methodus id agendi in postremo documēto tradetur.

Ad regulas quod attinet, debet illas omnes integrè obseruare, tam eas quæ sunt communes cunctis, quàm officij sui particulares, cum cæteris statutis & constitutionibus; idque.

Primùm propter amorè Dei, qui illas cõdidit, dũ videlicet eas fundatori, Patribusq; generalium congregationũ inspirauit, atque per illas factam voluntatem suam, quidque à quolibet Religioso requirat, manifestauit.

2. Propter suum profectum vel detrimentum: nam in eo consistit salus & perfectio ipsius: & fieri nequit, ut Religiosus salutem, ne dicam perfectionẽ vnquam adipiscatur, si regulas suas exactè non seruet. Maximè cum regularum obseruatio Religiosum ad perfectionem ducat, illiusque merita coram Deo vehementer augeat.

3. Pro-

3. Propter religionem & próximos: quia ex regularum transgressione proximi non parū scandalizantur & religio funditus euertitur: quæ admodū è cōtrario ex regularū obseruatione Religiones conseruātur & proximi maiorem in modum ædificantur. Hanc diligentiam in regulis obseruandis vt Religiosus assequatur quinque hæc faciet.

1. Habebit eas omni tempore penes se, si non impressas, saltem manu sua descriptas, ad quod laboris aliquid impendet.

2. Frequenter illas leget ac releget, easque hac ratione sibi familiares efficiet.

3. Studebit illas intelligere, & si aliquod dubiū in illis occurrat, Superiorem suum aut Patrem spiritualem consulat: nam ignorantia in rebus, quæ quis scire obligatur, non excusat.

4. Singulis mensibus vel omnes vel aliquam illarum partem meditatione percurret: præcipuas verò & quæ maioris momēti sunt, sæpius in me-

ditionem assumet. Methodus id agendi in fine huius libelli tradetur. 5. Plurimum quoque iuvat quolibet mense à superiore facultatem petere poenitentiam aliquam, partim secretam, partim publicam agendi pro defectibus, in regularum obseruatione commissis.

DOCUMENT. V.

Religiosum esse debere poenitentia & mortificationis amicum.

QVINTVM sit: Religioso carã esse debere, poenitentiam, & mortificationem tanquam statui suo maximè propriam & conuenientẽ, quæque hominem ad perfectionis culmen facilius euehat. Hinc namq; videmus per experientiam Religiosos, qui poenitentia & mortificationis amici non sunt, in via spirituali vix quicquam proficere, sed imperfectionibus plenos remanere. Poenitentia verò duplex est: Intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est cõtritio & dolor de peccatis: quæ quã pro-